

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## **Lacrymae**

**Lansius, Thomas**

**Tubingae, 1622**

**VD17 VD17 23:289851L**

[urn:nbn:de:bsz:31-137054](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-137054)





21

*Handwritten mark*

# THOMÆ LANSII

## LACRYMÆ.

*Faint mirrored text from the reverse side of the page, including the word "LACRYMÆ".*

*Vertical handwritten mark*

21.

*Typis exscribat Tubinga*  
**Ioan-Alexander Cellius:**  
ANNO CHR. MDCC. XXII.

THOMAS JANSKI

AD LECTOREM.

**E**X viola mel fugit apis, sed aranea virus.  
Sic, *Lector*, mel habent, virus & ha  
LACRYMÆ.

John Alexander Collins  
1832

THOMÆ LANSII LACRYMÆ,

quas expressit pietas in uxorem,

SUSANNAM SCHNEPFIAM,

fœminam, rari exempli:

que Christianissimè vitam finit, XXIV. Octobr.

Anno Christi. 1610. c. XXI.



Dolor! O gemitus! Neq; enim nisi fle-  
bile fari

Lingua, aliudve potest mens tot pulsata  
querelis.

Vix lacrymis fractas singultu extorqueo voces:  
Et tamen has inter tu quæreris unica semper,  
Unicè amata mihi, & mihi posthac unicè amanda,  
Chara mea, heu! nuper mea chara SUSANNA, Su-  
(S A N N A.

Jam facies aliena domus: sunt pleraque muta.  
Quodque mihi insolitum est, indicta silentia mensæ.  
Est situs in thalamo, viduum latus ambit utrumq;  
Mœror, & in medio recubat mens anxia lecto.  
Perdus & pernox luctus mecum exputat horas:  
Et, seu sole novo lux illustraverit orbem,  
Seu moriens lux sole cadente reliquerit orbem,  
Crebra inter suspiria pectore ducta profundo  
Longius îsse dies nulli, nec longius unquam  
Tristibus in tenebris noctes crevisse videntur.  
Sic mihi nunc tantùm lugere dolereque restat.  
Non secus insignis, quem Chloris vestiit, hortus;  
Quo natura sibi blandita ostendere pompas,  
Innumerisque oculos lassare coloribus ausa,

A 2

Non

Non satiare tamen; placido cœloque sereno  
Totus delictumque, decusque, & gloria totus,  
Et summa utilitas domino est, & summa voluptas.  
At postquam cœpit turgescere pontus & æther  
Ventorum rabie; ferit & nunc fortior Auster,  
Nunc gravior Boreas alterno turbine mundum;  
Iamque nigrore suo, jam territat ignibus aër,  
Ac vicibus terras aperitque operitque repente,  
Horrificoque unâ tonat hinc, tonat inde tumultu  
Fœtus fulminibus; salit & crepitante procellâ  
Grando, nec arctatus lapidi jam sufficit hortus:  
Tunc conclamatum est: cecidit, quam grando cecidit,  
Flora, hortusque jacet non unâ morte peremptus;  
Et domino tantum lugere dolereque restat.

Extera si luctum solari posset imago,  
Qualem ebur, aut variis animata metalla figuris,  
Aut ceræ monstrare solent; luctarer, & ingens  
Auderem intrepidus cum fato ducere bellum;  
Quin exosus opes desertas omnia vellem  
Prodigere hoc in opus, totosque expendere census:  
Ut mihi, vitæ ô lux mea, & ô mea sola voluptas,  
Nunc Bonarotææ rediviva coloribus artis,  
Dureriâve renata manu reddare dolenti.  
Sed vanum est, quicquid fictor vel pictor adumbrat:  
Et frustra est, sanctas in imagine quærere flammæ,  
Quæ solum mentes habitare, & pectora gaudent.  
Ad juges revocor lacrymas: ( mihi nemo reprendat  
Degrege Momorum has lacrymas: ) juvat ergo morari  
In lacrymis, fontemque hunc derivare tuarum

In lau-

In laudum oceanum, luctumque impendere amori.  
Cottidie ille ingens in corde renascitur ardor,  
Quo magis atque magis desidero vivere tecum,  
Quo te præsentem magis & magis expeto, & opto  
Nunquam à tam fido divelli corpore posse;  
Deniq; & absentis gemebundus prosequor umbram  
Divæ animæ, & votis sacrum colo sæpe sepulchrum.  
Sic charum si quando caput super æquor iturum,  
Cum jam vela Notus, jam verberat anchora navem,  
Certat amica manus retinere, & dicere multa,  
Atque subinde novo complexu sistere certat:  
Dum subito dirimit nexos mare: jamque relictæ  
Litore in extremo fugientia carbasa visu  
Sectantur, graviterque ferunt vanescere puppim;  
Stant tamen, & mœsti procul è tellure salutant,  
Nec rarò absentem memores venerantur amicum.  
At verò dignos aditus, laudumque tuarum,  
O nunquam laudata satis, primordia quærens  
Distrahor. Applausus ex omni parte mereris.  
Corporis an referam dotes? Vix largiùs usquam  
Indulfit natura sibi: vix forma nitorque  
Membrorum in vitæ duravit pulchriùs annos.  
Nobilis in niveo regnabat purpura vultu;  
Et duo ceu soles oculi, frontisque pudicæ  
Aequor, & hanc supra circum coma gratior auro,  
Atque os melliferum, rubris hinc inde labellis,  
Et linguâ argutâ vocem tam suavè figurans,  
Vt licet immanis vellet servire tyrannus;  
Collum etiam, & nunquã *domini* sine pondere cervix:  
A 3 Quid

Quid multis? Omnes ibat diffusa per artus  
Gratia, quæ meritis magnum magis auxit amorem.  
Sed formam hanc longè superabat plurima virtus.  
Quale etiam cœlum, formas quod ut anteit omnes;  
Sic super omne decus summis virtutibus exstat.  
Prima tibi à cunis fuerat tutela pudoris;  
Cumque pudore comes teneris maturior annis  
Crescebat pietas, virtutum maxima, & in te  
Maxima, quæ humanam vitam vel sola coronet.  
Sæpius inde tibi cunctis solenne diebus  
Linguæ animæque piis scalis adscendere cœlum,  
Illic colloquiis cor lætificare beatis,  
Communemque Patri præce commendare salutem;  
Illi nempe Patri, qui patrem haud exiit unquam,  
Et cujus nullas habet indulgentia metas.  
Hæc pietas fœcunda velut generosaque mater  
Virtutum peperit non parvo examine prolem.  
Hinc tibi temperies morum tranquilla, nec ulli  
Horrori commixta truci, quo sæpe rebelles  
Se se armant, & voce solent prævertere morsus  
Serpentum, atque omnes vultu placare novercas.  
Illustri probitas circum te & semper honestas  
Luce refulgebant, promissique in scia flecti  
Sancta fides, verique tenax, & inhospita falsi,  
Officii magnique memor, pariterque minoris,  
Nec lætam audebas speciem prætere fraudi.  
Candida simplicitas, humilisque modestia fastum  
Pellebant, vitium rebus confine secundis,  
Quo magè Magnatum nullum depauperat aulas,  
Turpiùs

Turpius & nullum commercia poscit honorum.  
Parva loquor, necdum æquo tuas, Charissima, laudes.  
Fas mihi divorum veniã dixisse parentum,  
Proximus hæredi non inferit omnia sanguis,  
Sæpe novis veteres dotes virtutibus auctæ  
Altius exurgunt, duplici jam lumine fultæ.

Cætera quid dicam? Quid culmina mille revolvan?  
Sancti conjugii foedus palmare putabas,  
Visceribus semper totis me amplexa maritum;  
Vlmus ut æquævò sociatam palmite vitem  
Circumplexa fovet, nemus admixtura racemis.  
Nulla cohærebant meliore Deoque fideque  
Pectora, non alias melius concordia mentes  
Iunxerat: ambobus tenor idem, & in omnibus idem  
Sensus. Non fallor: quòd si te prisca tulissent  
Secula, te auratis vexisset gloria pennis,  
Dignam etiam uxorem Pæti præcedere famâ.  
Propterea quæcunque domo me extruserat hora,  
Non cunctator eram multasque emanfor in horas,  
Sed citò, quâ licitum, repetebam, Chara, penates,  
Ipsam ipsam *Dominam* cupidus vidisse, sereno  
Semper tranquillam vultu, quæ blandula semper  
Vibrabat radios, submittebatque modestè  
Virtutis vexilla suæ, placitura marito.

Cura domus tibi mira fuit, sed & ordine miro:  
Cuncta suo assignata loco, dispostaque in usus  
Certos, cunctaque erant nitida, & tersissima cuncta.  
Imperium in famulas mansuetum, mite, verendum  
Absque supercilio, absque minis, & parcere suetum:

Non

Non quale accipitrum est, qui vivunt semper in armis.  
Ira sci poteras, sed ut irascuntur amantes:  
Ira sub imperio rationis alebat amorem,  
Staret ut invictâ concordia longa catenâ.  
Quòd si fortè domi quas turbas turba dedisset,  
(Vixque fit hoc aliter, quin turba domestica turbet.)  
Flexanimâ tu voce potens discordia corda,  
Et rixas facili nôras componere jussu.  
Sic conservabat tua suaviloquentia pacem,  
Inque domo dives semper florebat oliva.  
Sicque domus peragens censuram, offensâ finistris  
Si quæ contigerant, palmamque & præmia rectis  
Non invita dabas; tunc demum & membra quieti,  
Omnia cum longi reputâsses acta diei.

Magna tibi virtus bona quærere, parta tueri  
Non minor: ast opibus servum tu pectus habebas  
Nunquam, nunquam non summam averfata malo-  
Crimen avaritiæ, scelerum quæ sedula nutrix (rum,  
Vsq̄ue bibendo sitit diductis faucibus aurum,  
Quo nunquam saturas studet infarcire crumenas.  
Hoc plusquam furor est, nec non manifesta phrenesis,  
Inter opes medias inopemque & semper egenam  
Emaciare animam, atque hæredum pascere risus.  
Sic dites nec amant ullum, nec amantur ab ullo:  
Sic pereunt. Cœlum nullâ est reparabile gazâ.  
Tu bene, tu sanctè, trutinæ tu examine justo  
Pensabas & opes, & opem quam dura requirant  
Fata hominum miserûm, quæis nil tua dextra negabat.  
Cernere semper erat de nuda plebe frequentes

Noftram

Noftram intrare domum triftes, exireque lætos.

Quid nunc frugalis lautiffima fercula menfæ,  
Quæ tua docta manus struxit, famulata palato  
Et ftomacho noftro, fapidumque embamma parare  
Gnara, quod invalidam crebrò refoveret orexin;  
Quidque illis dapibus linguæ meliora difertæ  
Condimenta tuæ; quid multis dicere coner?  
Conftitit haud multâ magnâve paropside cœna;  
Cultaque fobrietas patinas hilaraverat omnes.

Vivitur & parvo bene, fed fi quis fciet uti:

Vivitur & magno malè, fi quis nefciet uti:

Omnibus effe dedit mater natura beatis.

O ftolidi, fervique gulæ! ludibria ventris

Qui tantum quærunt, aliove ex orbe petitas

Delicias, nec vina bibunt, nifi Creta propinet;

Qui callent, turdo quid præftet Phafidis ales,

Et lepori quid aper; quæ nulli & gloria troctæ,

Quæ fit falmonum; & dignofcunt oftrea morfu,

Ifta Caledonius, Lucrinus an afferat æftus.

Virtutum, fateor, nequeo miracula tuarum

Omnia tam brevibus laudum comprehendere gyris.

Ingenium minus eft; & adhuc mea carmina in ipfo

Ore natant lacrymis, ægras paffura lituras.

Sed licet in fpeculo paucorum hîc cuncta tueri.

Horrefco memorans, ftupet & hæc lingua, labat mens,

Dum quæis preffus eram morborum cogito peftes;

Dumque falutiferæ tua munera confero dextræ.

Illam, illam geminam Deus, (ô Deus annue votis!)

Ne permittite meis rurfus fuccedere tectis

B

Febrim,

*Febrim*, quæ alternis truculenta redire solebat,  
Et modò languentem tremulo quassare rigore,  
Et modò in exitium crescente ferociter æstu  
In cunctis animum corpusque exurere fibris,  
Barbaricosque simul capiti importare tumultus,  
Non unâ in tenuem grassata tyrannide vitam.  
Non secus ut ventis sese oppugnantibus æquor  
Intumuit, raptum inque vices, modò gurgite in imo,  
Nunc cœlo Tritona ferens, immanè flagellat  
Navem, non unoque viris conamine vires  
Eripit, & decimis passim mors innatat undis.  
Ah quoties quoties atris fui adobrutus umbris  
Semianimis! cum jam Stygias detrusus ad oras  
Essem, & Lethæos audirem cominus amnes;  
Cum caderent moribundi oculiq;, manusq;, pedesq;,  
Et quaquaversum se plurima mortis imago  
Proderet. At tua me pietas, tua cura, *SUSANNA*,  
In lucem retulit, mediisque reduxit ab undis.  
Dum namque obsequium pia te componis in omne,  
Et supplex prostrata, ambas ad sidera tollens  
Palmas, auxilium Divini numinis urges,  
(Tanta precum fuerat vis, & clementia cœli.)  
Audita es: quatit ecce redux præcordia virtus,  
Cernis & in charo revirescere corpore vitam,  
Et vim carnificem morbum amisisse nocendâ.  
Sic victus precibus Deus ille valescere jussit,  
Iussit & exhausti procurrere tempora fati:  
Sic ego jam fugientem animam mentemque recepi.  
Vt cum prata acer viridantia Sirius urit

Sole

Sole malo, ante diem moriuntur flaccida passim  
Gramina; si tepidus dulcisque superpluit humor,  
Qui bibulo exsuccoque solo dat largiter hauſtus,  
Confestim redit omnis honos, nova germina ſurgunt,  
Atque iterum infirmas viror ornat priſtinus herbas.

Hæc igitur fuit illa fides, ô nobile peçtus,  
Pervigili quâ te nunquam es furata labori,  
In quaſcunque vices, omnes accinçtaque in uſus,  
Proque ſalute viri vitam ipſam effundere prompta;  
Vt mihi ſic, (*dominum, dominum* ſermone fere omni  
Quem præſens numen velut ingeminare ſolebas.)  
Vt mihi inexpletum ſic teſtareris amorem.

Hic ego deficio, grates perſolvere dignas  
Impar, non mihi ſi pariter certamine læto  
Nectat Parthenope, Sulmoque, & Mantua lauros.  
Nunquam animo, nunquã tanta hæc benefacta, fidesq;  
Tanta, meo exciderint; omni non immemor ævo  
Ille erit, in cineres abeat licet eſca futurum  
Vermibus hoc corpus, vel totus hic occidat orbis.

Eja age jam factos, præclara Tubinga, vetuſtos  
Volve, nec exigui momenti exempla recenſe,  
Talia ſed ſummo quæ ponere in ordine digner;  
Dic, *Mea* quo numero, quo cenſu poſſit haberi?  
Dicam audacter ego, quod poſſum dicere verè:  
Rarò fœmineo, rarò natura minori  
Corpore majores eſt auſa includere dotes.

Sed natura vices nullo non tempore ſervans,  
Et fragili filo annectens occaſibus ortus,  
Morborum per mille vias, per milleque caſus,

Labitur in fatum, & denascitur omnibus horis.  
Hei dolor est, mea Chara, tuos memorare dolores,  
Quos peperere graves à primis ilicet annis,  
Et quos postremis auxere fugacibus annis,  
Morbi; quos inter sævi velut agmine facto  
Calculus, humorumque frequens cataracta fluente  
E cerebro incumbens, variisque assultibus instans,  
Certatim vitæ depascebantur honorem.  
Ultimus ille quidem toties crudelis, & artus  
Corporis in cunctos iteratis ictibus atrox,  
(Ille etiam linguam dudum luxaverat antè,  
Facundique usum nobis inviderat oris)  
Cum jam mortalis raperet te limen ad ævi;  
Tu minimè ancipiti deprensâ tremore fatiscis,  
Tu sed amica Dei, fatique improvida nunquam,  
Semideos imitata viros animosa refellis  
Quisquilias mundi, & miserandæ lubrica vitæ.  
Tu mortem intrepidè vis expectare. Quis ardor!  
Quæ spes! quæ pietas! & quæ fiducia Christi!  
Sicque animo ingenti, dum nil nisi gaudia anhelas,  
Gaudia quæ immundus nequit hic comprehendere mun  
Dumq; Dei auxilium balbutit languida lingua, (dus,  
Vinceris & vincis, mortemque relinquis in ipsâ  
Morte, animamque Deo, tibi qui dedit omnia, reddis.  
Hic ego succumbo, & solatia poscere cogor,  
Ille ego amicorum toties solator acerbis  
Funeribus, vivosque aptus lenire dolores.  
Adfectu inferior sum, nullaque copia fandi  
Nunc reliqua adflucto est: nunc, nunc est tempus, amici,  
Nunc

Nunc mihi reddite opem, mœstaſq; exolvite grates.  
 Tu verò, ô felix, nunc perpete pace beata es,  
 Exfors morborum, & curâ ſublimior omni,  
 Supra ſpem, ſupraque metum, ſupra omnia bella.  
 Cottidie ô quoties diris exercita curis,  
 Has turbas, hæc bella timens, (ut peſſimus augur  
 In dubiis ſolet eſſe timor.) Mavortis es artes  
 Deteftata novas, & inexcufabile factum  
 Zecchi, & vicinos quos Spinola duxit Iberos;  
 Cum tot terrores, tot fama pericla referret;  
 Tot discriminibus nullo discrimine cives  
 Adfligi; & miſeros, nil qui admifere, colonos;  
 Totque metu exſanguis profugos ſua funera ferre,  
 Totque latrocinio inſontes decreſcere gentes.  
 Juſtus erat tuus ille timor, chariſſima; nec dum  
 Aſpirat melior patriam fortuna carinam.  
 Et quæ ſpes ſuper eſt? dum nunc manus omnis in armis,  
 Pleraque & in furto eſt: dum nunc vindicta ſaluti  
 Comuni populi titulum ſed nomine tantùm  
 Magnum, & ventofum ſtultè præponit honorem.  
 Non ita debebat fieri. Circumſpicit ira  
 In media catulos leo, & ultio cedit amori.  
 Gens ſimplex, duplexvè parùm! Quæ ſceptra coronis,  
 Imperiisſque patrum nova jungere regna laborat;  
 Nec ſat circumſpecta tamen, non penſitat eſcas  
 Hoſtilesque dolos, variosque ignorat Vlyſſes.  
 Eloquar ingenuè. Pudet ah! miſeretque cadentis  
 Teutoniæ: proprio quæ ſanguine merſa cadaver  
 Mox erit, aut ſtabulum pro ſecta oriente latronum.

Militiæ genus infandum, quod noster hic orbis  
Vidit & audivit nunquam: quin credere fas est,  
Dissiluisse novo penitus nigra Tartara hiatu,  
Cunctaque Cerbereæ simul explicuisse tremenda  
Armamenta domus, & laxavisse furores.  
Flagitio usque adeo nullus pudor amplius obstat.  
Quicquid ubique fuit scelerum, nunc fluxit in unum  
Militiæ nomen; tegit hoc scelera omnia nomen.  
Sic Regis titulos sumit sibi sæpetyrannus:  
Sic cœli specie se nequam palliat Orcus:  
Sic insigne bonæ gerit & nunc falsa moneta:  
Sicque potest lupus egregius gregis esse magister.  
At tu, Chara, mihi quæ crebro talia quæsta es,  
Iam sine fine vides, audis sine fineque cœli  
Gaudia. Nos autem miseri, nos anxia plebes  
Spargimur in casus, & tempestatibus acti  
Nitimur in portum laceram perducere navem.  
O quando illa dies orietur? Quando Redemptor  
Exuviis animas, & carnibus induet ossa?  
Quando jubebit in excelsas nos scandere sedes?  
O tunc quantus ego! Ter sancti Numinis omne  
Arcanum cum nôsse licet, mysterium & omne,  
Humanisque oculis jus est Divina tueri:  
Cum Sanctos omnes, & te, mea Diva, videbo;  
Et tecum æterno rursus sociabor amore.  
Attamen interea, dum vitæ flebile duco  
Munus in his terris, Dea semper habebere præsens  
Tu mihi: & effigies vel contemplantur honoras,  
Vel repetam affatus; aut de te suavia poscam

Som-

Somnia, quæ eximios referant longo ordine mores;  
Aut mea damna querar, modò conquerar ista, modò  
Quis, *querar*, officiis posthac mea vota laceffet (illa.  
Fidus, seu spiret rebus fortuna secundis,  
Seu fremat adversis? Quis castigabit inanes  
Curas, & pro me volet omnes ferre labores?  
Quis subito accensum fermento, & bile tumentem  
Mulcebit dictis, atque in se flectet ab ira?  
Quis me lassatum studiis ad amœna vocabit  
Colloquia, & pascet redeuntem in membra vigorem?  
Quis vigiles fallet noctes sermonibus? Et quis  
Sæpe emansorem coget subrepere somnum?  
Quis gressus, gestus, nutus, quis denique sensus  
Omnes observare meos dignabitur? Et quis  
Me, quoties exibo domum, remorabitur arctis  
Blanditiis? & post redeunti occurret? utrosque  
Mox humerosque meos avidis circumdabit ulnis?  
Quis mihi mille alia, & quæ dicere carmina mille  
Nec possint, quisnam posthac præstabit amicus;  
Quæ tu, si plures potuisses vivere in annos,  
Vivere digna equidem in mille, & digna ampli<sup>9</sup>, annos?  
Cuncta sed hæc, cuncta in tumultum gravis intulit ho-  
Feralisque dies. Vt cum dux tradidit arcem (ra  
Militis arbitrio rapidi; vix vix data signa,  
Iam ruit arx, omnisque perit sub rudere pompa.  
Ite voluptates igitur, quas æstimat orbis;  
Ite, licet: nostras cœlum spes continet omnes.  
O taceat, quicumque novas admurmurat ignes,  
Has animique minas anno metitus ab uno

Finem,

Finem, quem statui, catus expugnare laborat.  
Quippe manet, si vita manet, duce Flamine Sacro,  
Et constans vitæ venientes ibit in annos;  
Nec mentem phaleris ita Suada revinxerit unquam,  
Ut de me populo narrari fabula possit.  
Ille regit castos, quos nemo resuscitet, ignes,  
Ille meos omnes tumulus complexus amores.

Haëtenus ô Anima, ô coeli nova & inclyta civis,  
Virtutes dotisque tuas, mirandaque morum,  
Et memini, & donec vivam meminisse juvabit.  
Iam mihi supremùm salve, vale Chara supremùm,  
Et titulum meritis æqualem adgnosce sepulchri:

LANSIADÆ conjux, & SCHNEPFI gnata SUSANNÆ,  
Relligio, & pietas, & rara accessio formæ  
Castus amor, fatuoq; carens bona gratia luxu,  
Et recti cultus, muliebris gemmaq; sexus:  
Hoc uno simul hæc sunt omnia clausa sepulchro.

S E-

SEQVENTIA CAR-  
MINA AMICORVM SVNT,

QUI LANSIANIS LACRYMIS

ΣΤΗΜΑ'ΘΕΙΑΝ ΣΥΑΜΑΔ-

miscere voluerunt.

I.

**P**raclare LANSI, Pierii chori  
Insigne fidus, rector Olympicus  
Et gaudiorum & lacrymarum  
Ipse modum p̄sōuit Jehovah.  
Spectata Conjux letitiam tibi  
Multos per annos, quod patris optimi  
Donum benignum est & suāve,  
Obsequiis peperit decoris,  
Nunc astantem Martis ab ignibus  
Exosa mundum, sideribus poli  
Adjuncta, tristi lacrymarum  
Te viduum madefecit imbre.  
Sic orbis ille temperat arbiter,  
Jucunda mæstis, variā vice  
Nunc leta sursum corda tollit,  
Mox lacrymis rigat ora mæstis.  
Solare mentem Numinis Optimi  
Virtute sanctā: munus id inclytum,  
Que tot per annos fida Conjux  
Te coluit, poli in arce regnat.  
Mos ille Christi est; quod placet, abstrahit  
Ad tempus, amplo fœnore pulchrius  
Ut largiatur, quisquis ipsum  
Pectore & ore colit fideli.

Τ' ἀγώπεια καλλιῶ.

Balthasar Mentzerus, Theologus,  
& Professor in illustri Academia  
Gießena.

C I L Cum

---

I I.

**C**um subit illius constans pietatis imago,  
 O Anima Angelicis adsociata cboris,  
 Inq; viram sine felle fides, candorq;, pudorq;,  
 Et nunquam minimo murmure fractus amor:  
**LANSIUS**, haud miror, quod te desideret orbus,  
 Et desiderio tabeat usq; tui.  
 Praestabas veterem dum namq; pudore **SUSANNAM**  
 Nec virtute minus, nec pietate minus;  
 Quas non **DELICIAS DESIDERIUMQ;** marito  
 In vivis nuper visa creare tuo es?  
 Has sed **DELICIAS DESIDERIUMQ;** marito  
 Abstulit ex oculis Arbitrator ille suis:  
 Cujus quod tacitis decrevit sanctio jussis,  
 Vanum est humanâ vellere velle manu.  
 Tu sed vince tuum sacro sermone dolorem  
**LANSI**, pars Anima dimidiata tuae.  
 Cum semel elapsos truncharverit Atropos annos,  
 Non vestit vacuum lana secunda colum.  
 Interea intrepidi, cum jusserit ire Jehovah,  
 Hoc ipsum ad caeli templa sequemur iter.

Johan-Ulricus Pregitzerus, Theologus,  
 & Professor in inclyta Academia Tu-  
 bingensi.

---

I I I.

**A**strea Peithusq;, prior carbuncule, **LANSI**,  
 Nec minus Eusebicus uniorare Dea;  
 Dum lacrimis veris, dum singultantibus odis  
 Prosequeris raptus Conjugis ante diem;  
 Non modò lugenti manifestè indulget Apollo,  
 Musarumq; tegit turma novena latus:  
 Vinnula sed Pallas gemitus quoq; mille profundit,  
 Suadaq;, funereis commodat ora modis:  
 Sed Charitum triplex longum flet gratia; siccas  
 Nec potis est Maja gnatus habere genas:

Quin

Quin & dia Venus laceris tibi crinibus adstat,  
 Praeque dolore nequit torpida Juno loqui:  
 At Dea seclorum, memori quae nomina fama  
 Consecrat, aeternos digna videre dies,  
 Cuncta elementa tui questus incidit in auro,  
 Mnemosynes vivant semper ut aede sacra;  
 Haec ubi non simplex gemmanteis explicat alas  
 Gloria, Posteritas haec ubi tota viget.  
 O Cygnea mele! o verba exquisita! quibusque  
 Sirenum cedat gloria prisca trium!  
 Monstra ea viventem cantando quemque, necabant:  
 At, LANSI, extinctam vox tua ad astra vocat:  
 Quamque, ideò princeps multo cum fratre Cupido  
 Numine per terram differet atque mare;  
 Omnibus ut populis exemplum nobile praestet  
 Conjugi, cui par nil fuit, aut nec erit.

Janus Gruterus.

I V.

Tumulo lectissimae matronae  
 SUSANNAE LANSIAE &c.

Caela sub hac templi tumulatur mole SUSANNA,  
 Quae nuper LANSI nobilis uxor erat.  
 Quae fuit exemplar morum, virtutis imago,  
 Semper & ingenua simplicitatis amans.  
 Si qua domus studiosa fuit, studiosa mariti,  
 Si qua fuit cultrix Numinis; illa fuit.  
 Illa suo unanimis cum Coniuge vixit, ut inde  
 Candidus amborum lite careret amor.  
 Illa pudicitiae famam servavit honestam,  
 Quae laudata nihil femina majus habet.  
 Quid? Cumulus tumulo virtutum conditur isto:  
 Et potes hinc siccis, Lector, abire genis?

Johannes Harpprechtus, J.C. & Antecessor  
 in Academia Tubingensi Ordinarius.

C 2 V. Quis

LANSIUS at nosſer properata ob fata SUSANNÆ,  
*Aſſiduo fletu lumina preſſus, ait;*  
 Cum videam viduòs veteri ſine luce penates,  
 Meque mei in me ipſo quærere cogar inops;  
 Vita mihi quamvis fatorum munere detur,  
 Vita inter luçtus effluet iſta meos.  
 Dixit, & aſterno damnans ſuſpiria voto,  
*Hunc tumulum lacrymis imbuir ipſe ſuis.*  
 Nunc mihi, quicquid habes ævi, repete omne vetuſtas;  
 Nil par huic animo, quod referatur, habes.  
 Major Romanâ virtute eſt LANſIA virtus;  
 Perpetuò hac luçtus ſuſtinet, illa ſemel.

Johan-Martinus Rauſcher, Profeſſor  
 Acad. Tubing.

---

X I L

Tumulo

SUSANNÆ LANſIÆ,  
 Matronæ ſine exemplo.

**H**oc tegitur ſaxo ſpecimen venerabile morum,  
 LANſIA ſola ſuo digna SUSANNA viro:  
 Uni cui dederat, quicquid Natura decoris,  
 Uni cui dederat Gratia quicquid habet.  
 Hinc ut ſtirpe fuit, formâq;, opibusq;, viroq;:  
 Sic animo felix & pietate fuit.  
 Vidimus hanc quoties ſacros verſare libellos,  
 Et fixo ante ſuum lumine ſtare Deum?  
 Tunc quoq;, cum linguæ compressit amabile plectrum,  
 Sola Creatori ceperat illa loqui.  
 Hoc tamen infelix, nullâ quòd prole parentem  
 Tam ſibi dilectum fecerat illa virum?  
 Deſine mirari, tumbam qui præteris, hoſpes:  
 Hoc virtus ſterilis temporis eſſe ſolet.

Idem Rauſcherus.

XIII. Car-

---

XIII.

**C** Armina mœsta tua, LANSI, qui ferre beata  
SUSANNÆ volet, hic in mare portat aquas;  
Oceanus postquam tu Suada uberrimus ipse  
SUSANNAM heroo fletq̄, canisq̄, modo.  
Imò heroina potuisses parcere Musæ,  
Tanta expressisset ni tibi verba dolor:  
Si modò dixisses SUSANNAM, ibi deflevisses  
Uno Heroinas nomine mille Deas.

Fridericus Hermannus Flayder,  
Professor Acad. Tubing.

---

XIV.

**N**oli, LANSI, tanto indulgere dolori;  
Noli tristificas corde fovere minas.  
Non equidem ILLA animumq̄, tuum corpusq̄, reliquit;  
Nec charum, ut mavult vulgus, abiit HERUM;  
Sed magis ILLA animumq̄, tuum corpusq̄, revisit,  
Et magis, ut mavult doctus, adiit HERUM.  
Nam tua quò SUSANNA loci nunc venit, & illic  
Tu priùs atq̄, animo & corpore totus eras.

Idem Flayder.

---

XV.

**N**on mirum est, Tibi cur tantùm hoc breve carminis orsum,  
Carmina cum fas sit millia ferre, feram.  
Annò & Tua sancta comes breve vixerat ævum,  
Vivere digna suo secula mille viro?

Idem Flayder.

---

XVI.

**V**T frondescentem foliorum autumnus honorem  
Exspiraturus decutit arboribus,

Regi-

Reginasq; ROSAS, & Regum lilia flores  
Ventorum vehementi asperitate necat:  
SCHNEFFIA fœminei ROSA sic pulcherrima cœtus  
Tabet, & autumnî tristia jura subit.  
Tabet, & ingentis luclus est causa Marito  
Uxor, Pauperibus Mater, Amica suis:  
Qua spinas inter ROSA suavis odore Marito,  
Qua crucis atq; onerum dulce levamen erat:  
Quam morum Integritas, Probitas, Pietasq;ue, Fidelisq;ue,  
Fecerunt floris majus habere decus.  
Sic flos hic cecidit: sed ubi lux ultima veris  
Venerit, ille novâ veste resurget humo;  
Surget, & augusto virtutum clarus amictu  
Elysium aeterno sparget odore nemos.

Eberhardus Schultzeiff / Halâ-Saxo.

XVII.

Quorsum tot gemitus, animo quos ducis ab alto?  
Quid sibi tot que suspiria corde cies?  
Nempe quod ereptum est tibi Cor Animusq;, quietem  
Non cor, non animus nocte dieq; capit.  
Desine singultus, Domine & Pater alter; habebis  
In cœlo quondam Cor iterum atque Animum.

Stephanus Lanfius.

Finis.

